



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Electis Dei Per Universum Orbem Dispersis Joannes Miseratione Divina,
Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter Cardinalis Bona
Gratiam, & Pacem quae superat omnem sensum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

P R I N C I P I A

E T

D O C U M E N T A V I T Æ C H R I S T I A N Æ.

E L E C T I S D E I

Per Univerſum Orbem Diſperſis

J O A N N E S

Miſeratione Divina,

Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbyter

C A R D I N A L I S B O N A

Gratiam, & Pacem quæ ſuperat omnem ſenſum.



Unc Libellum Vobis offero, quâ par eſt veneratione, felices animæ, vafa honoris & miſericordiæ, genus electum, gens ſancta, Filii Dei deſtinati ad gloriam ante mundi conſtitutionem, qui pretioſo ſanguine Chriſti redempti, & à ſervitute peccati dono gratiæ ipſius liberati, ignominiam crucis non erubescitis. Vobis enim datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati eſtis. Vos elegit Pater cœleſtis in partem ſortis Sanctorum, ut eſſetis ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate, in quo prædeſtinati eſtis, non ſecundùm opera veſtra, ſed ſecundùm propositum voluntatis ejus. Pro Vobis Dei Filius oravit, cum tranſiturus de hoc mundo ad Patrem dixit, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dediſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro hiſ, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Pro mundo autem non oravit, quia omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre. Ideò non audiunt verba vitæ, qui de mundo ſunt; & ſi audiunt non intelligunt, quia animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Et Chriſtus quidem lux vera eſt, quæ illuminat omnem

omnem hominem venientem in hunc mundum, sed mundus eum non cognovit, nec videt eum, nec scit eum, nec spiritum veritatis potest accipere. Hoc est autem iudicium, & causa damnationis reproborum, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem; erant enim eorum mala opera, & omnis qui male agit, odit lucem. Quod si in vita, & prædicatione suâ Christus lux fuit, præcipue tamen universo mundo in cruce resplenduit; lignum enim illud, in quo erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit docentis. Audiamus ergo quid nos doceat. Id nimirum docet moriens, quod docuerat vivens: *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Crucem igitur amplecti, & Christi sequi vestigia salutis nostra est: in cruce plenitudo meritorum reperitur: & hæc Christianorum sublimior philosophia, scire Christum, & hunc crucifixum. Atque utinam hæc Principia, & Documenta Vitæ Christianæ legentibus aperiatur Deus cor ad intelligendum, dispellens tenebras ignorantiae, & sanans animæ languores, ut erepti de potestate tenebrarum ad agnitionem veritatis perducantur. Hujus rei gratia Deum oro, ut det illis virtute corroborari per spiritum ejus in interiore hominem, ut charitas in eis magis, ac magis abundet, ut sint sinceri, & sine offensa, repleti fructu justitiæ, Deo per omnia placentes sine querela, & sine reprehensione. Hoc votum meum pro illis est: pro me autem Deum precor, ut mentem meam luminis sui claritate perfundat, & meam imbecillitatem brachii sui potentiâ confirmet, ne, qui aliis prædico, moribus doctrinæ repugnantibus, reprobis efficiar. Vos etiam rogo amici Dei, & oves pascuæ ejus, memores mei estote in orationibus vestris, ut quod hæc pagina docent, operibus comprobem, meisque legibus obtemperem, eo vires largiente qui dixit: *Sine me nihil potestis facere:* qui cum Patre, & Spiritu sancto unus est Deus, unus est Dominus, gloriosus, & superexaltatus in sæcula. *Amen.*

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

J. de Angelis Archiep. Urbini Vicegerens.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capifucchus Ord. Prædic. Sacri Palatii Apostolici Magister.

P R I N-